



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:


- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

CASANATENSE

JR. XI. 13



CONSLIUM DELECTORUM CARDINALIUM

Et aliorum Prælatorum de emandan-
dâ Ecclesiâ, S.D.N. D. Paulo III.
ipso jubente conscriptum,
& exhibitum anno
M. D. XXXVIII.

Accesserunt

DUÆ EPISTOLÆ

GASPARIS CONTARENÌ Cardinalis
De eodem argumento & ad eun-
dem Pontificem.

—S : Se—

Juxta Exemplar quod

COLONIÆ,

MELCHIOR Novesianus ex-
cudebat, anno à Christo na-
nato M. D. XXXVIII.



BEATISSIME PATER ,
 tantum abest ut verbis ex-
 plicare possimus , quām
 magnas gratias Respublica
 Christiana Deo Optimo Maximo a-
 gere debeat , quōd te Pontificem hi-
 sce temporibus ac pastorem gregi suo-
 praefecerit , eamque quam habes men-
 tem dederit : ut minime speremus co-
 gitatione eas quas Deo gratias debet
 consequi posse , nam spiritus ille Dei
 quo virtus cœlorum firmata est (ut ait
 propheta) labantem , imò fere colla-
 psam , inpræceps Ecclesiam CHRISTI
 per te restaurare , & huic ruinæ ma-
 num ut videmus supponere decrevit ,
 eamque erigere ad pristinam sublimi-
 tatem decorique pristino restituere ,
 certissimam divinæ hujus sententiac
 conjecturam nos facere valemus , qui-
 bus Sanctitas tua ad se vocatis manda-
 vit , ut nullius aut commodi tui , aut
 cuiuspiam alterius habita ratione , ti-
 bi significaremus abusus illos , gravissi-
 mos videlicet morbos , quibus jam pri-

dem Ecclesia Dei laborat, ac præser-
tim hæc Romana curia, quibus effe-
ctum propè est, ut paulatim ac sen-
sim ingravescientibus pestiferis his mor-
bis magnam hanc ruinam traxerit,
quam videmus. Et quoniam San-
ctitas tua spiritu Dei erudita: qui
(ut inquit Augustinus,) loquitur in
cordibus nullo verborum strepitu
probè noverat principium horum ma-
lorum inde fuisse, quòd nonnulli
Pontifices tui prædecessores prurien-
tes auribus, ut inquit Apostolus Pau-
lus, coacervaverunt sibi magistros ad
desideria sua, non ut ab eis discerent,
quid facere deberent, sed ut eorum
studio & calliditate inveniretur ratio,
quâ liceret id quod liberet. Inde effe-
ctum est, præterquam quòd princi-
patum omnem sequitur adulatio, ut
umbra corpus, difficilimusque sem-
per fuit aditus veritatis ad aures
principum, quòd confessim prodi-
rent doctores, qui docerent Ponti-
ficem esse dominum beneficiorum
omnium

omnium : ac ideo cum dominus jure vendat id , quod suum est , necessario sequi , in Pontificem non posse cadere simoniam. Ita quod voluntas Pontificis qualiscunque ea fuerit , sit regula qua ejus operationes & actiones dirigantur : ex quo proculdubio effici , ut quicquid libeat , id etiam liceat. Ex hoc fonte , sancte Pater , tanquam ex Equo Trojano , irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus & tam graves morbi , quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse , & manasse harum rerum famam ad infideles usque (credat sanctitas vestra scientibus) qui ob hanc præcipue causam Christianam Religionem derident , adeò , ut per nos , per nos iniquimus , nomen Christi blasphemetur inter gentes. Tu vero sanctissime Pater & vere sanctissime , edocetus à Spiritu Dei , praeter veterem illam tuam prudentiam , cum

totus in hanc curam incubueris , ut
 sanatis ægritudinibus , Christi Ec-
 clesia tuæ euræ commissâ bonam va-
 letudinem recuperaret , vidisti ac
 probè vidisti , inde incipiendam me-
 dicationem , unde primum ortus est
 morbus , secutusque doctrinam A-
 postoli Pauli vis esse dispensator
 non dominus , & fidelis inveniri à
 Domino : imitatus etiam servum il-
 lum , quem in Evangelio Dominus
 præfecit familiæ suæ , ut det illis in
 tempore tritici mensuram , ac pro-
 pterea decrevisti nolle quod non li-
 ceat , nec vis posse quod non debes .
 Ideoque nos ad te accersivisti , im-
 peritos quidem ac tam magno nego-
 tio impares , non parum tamen af-
 fectos cum honori & gloriæ Sancti
 tatis tuæ , tum præcipue instaurioni
 Ecclesiæ CHRISTI , ac gravissimis
 verbis injunxisti , ut omnes hos abusus
 colligeremus , tibique illos significa-
 remus : obtestatus nos reddituros esse
 rationem hujus negotii nobis deman-
 dati

dati Deo optimo , si negligenter ac infideliter ageremus. Atque ut omnia liberius inter nos tractari possent , tibique à nobis explicari, jurejurando nos destrinxisti, addita etiam excommunicationis pœna , ne cuiquam aliquid hujus nostri muneris prodere-
mus.

Nos igitur tuo imperio parentes collegimus , quanto paucioribus fieri potuit, hos morbos eorumque reme-
dia, ea inquam quæ pro tenuitate in-
genii nostri excogitare potuimus. Tu
vero pro tua bonitate ac sapientia om-
nia resarcies ac perficies, in quibus
pro tenuitate nostra offendetur.
Verum ut omnia certis quibusdam fi-
nibus complectamur ; cum Sanctitas
tua & sit princeps provinciarum ha-
rum quæ subsunt ditioni Ecclesiasticæ,
ut sit Pontifex universalis Ecclesiæ,
sit etiam Episcopus Romanus, nihil
nobis dicendum sumpsimus de his,
quæ pertinent ad hunc principatum
Ecclesiæ, quem tua prudentia opti-

mè régi videmus: tangemus tantum ea quæ pertinent ad officium universalis Pontificis & nonnulla quæ sunt Romani Episcopi. Illud vero antè omnia, beatissime Pater, putamus statuendum esse, ut dicit Aristoteles in polit. sicut in unaquaque republica ita & in hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiæ CHRISTI hanc præ omnibus legem habendam, ut quantum fieri potest leges serventur. Nec putemus nobis licere dispensare in legibus nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namque perniciösior consuetudo in quavis Republica induci potest, quam hæc legum inobſervantia, quas sanctas, majores nostri esse voluerunt earumque potestatem venerandam & divinam appellariunt. Scis tu hæc omnia optime Pontifex legisti jam prius apud Philosophos & Theologos: illud vero non tantum huic proximum, sed longè prius & potius superiore putamus, non licere Pon-

Pontifici & C H R I S T I vicario in usu potestatis, clavium potestatis inquimus, à C H R I S T O ei collatae lucrum aliquod comparare. Hoc etenim est C H R I S T I mandatum: *Gratis accepistis, gratis date.* His primum statutis cum Sanctitas vestra ita gerat curam Ecclesiæ C H R I S T I, ut ministros plurimos habeat, per quos hanc curam exerceat. Hi autem sunt clerici omnes, quibus mandatus est cultus Dei, Presbyteri præsertim, & maxime curati, & præ omnibus Episcopi. Idcirco si gubernatio hæc sit recte processura, primo danda est opera, ut hi ministri idonei sint muneri, quo fungi debent.

PRIMUS abusus in hac parte est ordinatio clericorum, & præsertim Presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla adhibetur diligentia: quod passim quicunque sint, imperitissimi sint, vilissimo

A 5 genero

genere orti, sint malis moribus ornatı, sint adolescentes, admittantur ad ordines sacros, & maxime ad presbyteratum, ad characterem, inquam, Christum maxime exprimentem. Hinc innumera scandala, hinc contemptus ordinis Ecclesiastici, huic divini cultus veneratio non tantum diminuta, sed etiam prope jam extincta. Ideo putamus optimum fore, si Sanctitas tua primo in hac urbe præficeret huic negotio duos aut tres prælatos viros doctos & probos, qui ordinacionibus clericorum præessent. Injungereret etiam Episcopis omnibus, adhibitis etiam poenitentiis censurarum, ut id curarent in suis diœcesibus. Nec permittat Sanctitas vestra ut quispiam ordinetur, nisi ab Episcopo suo, vel eum licentia deputatorum in urbe, aut Episcopi sui: insuper ut in Ecclesiis suis quisque Episcopus magistrum habeat, à quo clerici minores & literis & moribus instruantur, ut jura præcipiant.

ABUSUS.

ABUSUS alius maximi ponderis est in collatione beneficiorum Ecclesiasticorum, maxime curatorum, & præ omnibus Episcopatuum, in quibus usus invaluit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia, non autem gregi Christi & Ecclesiae. Ideò in conferendis his beneficiis, curatis, inquam, sed præ aliis Episcopatibus, curandum est ut conferantur viris bonis, doctisque: ideo, ut per se possint fungi illis muneribus ad quæ tenentur: insuper illis quos verisimile est residentiam facturos. Non ergo Italo conferendum est beneficium in Hispania, aut in Britannia, aut econtra. Hoc servandum est tam in collationibus, cum vacant per decessum, quam in cessionibus, in quibus nunc tantum habetur ratio voluntatis cedentis nullius præterea rei. In cessionibus his, si quispiam præficeretur probus unus pluresve, bene factum iri putaremus.

ALIUS abusus, cum beneficia

A 6

con-

conferuntur , seu cum ceduntur aliis , irrepfit in constituendis super eorum fructibus , pensionibus . Imò quandoque cedens beneficio , omnes sibi fructus reservat . Qua in re illud est animadvertisendum , nulla alia de causa , nulloque alio jure pensiones constitui posse , nisi ut quasdam eleemosynas , quæ in pios usus & indigentibus concedi debent . Nam redditus sunt annexi beneficio , ut corpus animæ : id eo sua natura pertinent ad eum , qui beneficium habet , ut possit ex eis vivere honestè pro suo ordine , simulque queat sustinere impensas pro divino cultu , & templi sacramrumque ædium reparazione , ut quod reliquum est , impendat in pios usus . Hæc est enim natura eorum reddituum . Verum sicuti in rerum naturæ administratione nonnulla fiunt à natura particulari præter inclinationem universalis naturæ . Sic in Pontifice , quoniam est universalis

falis dispensator bonorum Ecclesiæ, si viderit eam fructuum portionem, quæ in pios usus expendi debet, aut ejus partem in plium quempiam alium usum, ut expendatur magis expedire, potest proculdubio id facere. Ideo jure merito pensionem ponere potest, ut subveniat egeno, præsertim clericu, ut honestè queat vitam ducere pro ejusdem ordine. Ideo omnes fructus reservari, adi mique id omne quod divino cultui, sustentationique habentis beneficium tribui debet, magnus est abusus. Itemque pensiones dari clericis divitibus, qui commodè & honestè vivere queunt ex redditibus quos habent, magnus certè abusus, tollendus uterque.

A L I U S item abusus in permutationibus beneficiorum, quæ fiunt cum pactionibus, quæ simoniacæ omnes sunt, nulloque respectu habito nisi lucri.

ABUSUS aliud omnino auferendus,
A 7 qui

qui calliditate quadam nonnullorum peritorum jam invaluit in hac curia, nam cum lege cautum sit beneficia testamento legari non posse, cum non sint testatoris, sed Ecclesiæ, & ut res hæc Ecclesiastica servaretur communis bonorum omnium, non autem fieret privata cuiuspiam, invenit humana non tamen Christiana industria plurimos modos, quibus huic legi illudatur. Nam fiunt renuntiationes Episcopatum, aliorumque beneficiorum primo cum regresu, addunt reservationem fructuum, addunt reservationem collationis beneficiorum. Insuper cumulant reservationem administrationis, faciuntque hoc pacto Episcopum, qui nullum jus habet Episcopi: alterum vero cui jura omnia Episcopi competant, non tamen Episcopum. Videat Sanctitas tua, quo processit assentatoria illa doctrina, quâ tandem effectum est, ut id liceat quod libeat. Quid, quæso, est hoc, nisi hæredem beneficii sibi constituere. Alius

præ-

præter hunc inventus est dolus, cum scilicet coadiutores dantur Episcopis potentibus: minus idonei, quam ipsi sint, ita ut nisi quispiam claudere oculos voluerit, liquido videat hæredem ea ratione institui.

I T E M lex est antiqua instaurata à Clemente, ne filii presbyterorum habeant parentum beneficium, ne scilicet res communis hoc modo fiat privata: dispensatur tamen (ut audi-
mus) in hac veneranda lege. Nolui-
mus tacere, id quod verissimum esse
quivis prudens per se judicaverit, nul-
lam rem magis conflasè hanc invi-
diam clericis, unde tot seditiones sunt
ortæ, & aliæ instant, quam hanc
aversionem commodorum & proven-
tuum Ecclesiasticorum à communi
ad rem privatam: ante hac omnes spe-
rabant, nunc in desperationem ad-
ducti, acuunt linguas contra hanc
sedem.

A L I U S abusus est in expectati-
vis & reservationibus beneficiorum, &
datur

datur occasio, ut aliena mors desideretur & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum supremum dignioribus cum vacant, dant litibus causam. Omnes has putamus tollendas esse.

A B U S U S alius est, eadem callicitate inventus. Nam quædam beneficia incompatibilia jure sunt & appellantur, quæ ex ipsa vi nominis maiores nostri admonere nos voluerunt, non deberi ea uni conferri: nunc in his dispensatur, non tantum duobus, sed pluribus: & quod pejus est, in Episcopatibus. Hunc morem, qui ob avaritiam tantum invaluit, tollendumducimus, præsertim in Episcopatibus. Quid de unionibus beneficiorum ad vitam unius, ne scilicet obstet illa beneficiorum pluralitas ad obtainenda incompatibilia, nonne est mera fraus legis?

A L I U S etiam abusus invaluit, ut Reverendissimis Cardinalibus episcopatus conferantur seu commendentur

tur non unus tantum , sed plures : quem , Pater beatissime , putamus magni esse momenti in Ecclesia Dei . Primo quidem , quia officium Cardinalatus & officium Episcopi incompatibilia sunt . Nam Cardinalis est assistere Sanctitati tuæ in gubernanda universali Ecclesia : officium autem Episcopi est pascere gregem suum : quod præstare bene & ut debet haud potest , nisi habitet cum ovibus suis , ut pastor cum grege . Præterea Pater sancte hic usus maxime obest exemplo . Quomodo namque hæc Sancta sedes poterit diriger & corriger aliorum abusus , si in præcipuis suis membris abusus tollerentur ? Nec ob id quod Cardinales sint , putamus eis magis licere transgredi legem : Imò longe minus . Horum enim vita debet esse aliis lex , nec imitandi sunt pharisæi , qui dicunt & non faciunt : sed C H R I S T U S Salvator noster incepit facere & postea docere . Amplius hic usus

usus nocet in consultationibus Ecclesiæ, nam hæc licentia fomentum est avaritiæ. Ambiunt præterea Cardinales à Regibus & Principibus Episcopatus, à quibus postea dependent, ne possint liberè sententiam dicere, immò si possent & vellent, fallerentur tamen passione animi in judicando perturbati. Ideo utinam hic mos tolleatur, & provideretur Cardinalibus ut possunt honestè pro dignitate vivere, omnibus æquales redditus, quod putamus facile fieri posse, si vellemus abjicere servitutem mammonæ & CHRISTO tantum servire.

HIS castigatis, quæ pertinent ad constituendos tibi ministros, quibus veluti instrumentis & cultus Dei bene administrari & populus Christianus in vita Christiana bene institui & regi possit, accedendum nobis est ad illa quæ spectant ad gubernationem Christiani populi. In qua re Pater beatissime, abusus ille primò & præ omnibus corrigendus est, ne scilicet Episco-

piscopi primū & præ omnibus aliis, deinde ne Curati abessent à suis Ecclesiis & Parrochiis, nisi ob gravem aliquam causam, sed residentiam facerent; maximè Episcopi, ut diximus, quia sunt sponsi Ecclesiæ ipsis demandatæ. Nam per Deum immortalem, quis miserabilior viro Christiano conspectus esse potest Christianum orbem peragrandi, quam hæc solitudo Ecclesiarum? Omnes fere pastores recesserunt à suis gregibus, commissi sunt omnes fere mercenarii. Imponenda ergo esset magna poena Episcopis præ aliis; deinde Curatis, qui absunt à suis gregibus, non tantum censurorum, sed etiam ne reciperent redditus illi qui absunt, nisi impetrata licentia à tua Sanctitate Episcopi, Curati ab Episcopis suis per breve aliquod temporis spatium. Legantur in hoc aliqua jura aliquorum conciliorum decreta, quibus cautum erat Episcopos non licere abesse à sua Ecclesia, nisi tribus tantum dominicis.

ABU.

ABUSUS etiam est , quod tot Reverendissimi Cardinales absint ab hac curia , nec aliqua in parte faciant quidpiam ejus officii , quod spectat ad Cardinalatum. Ideo et si fortasse non omnes , quia expedire existimamus nonnullos habitare in provinciis suis , nam per illos tanquam per radices quasdam in totum orbem Christianum sparsas continentur populi sub hac Romana Sede : plurimos tamen esset Sanctitatis tuæ vocare ad Curiam , ut hic residerent. Hac enim ratione præterquam quod fungerentur officio suo Cardinales provideatur etiam amplitudini Curiæ , supplereturque si quid ei detractum fuisset per recessum multorum Episcoporum , qui ad suas Ecclesiæ se contulissent.

ALIO abusus magnus & minimè tolerandus , quo universus populus Christianus scandalizatur , est ex impedimentis quæ inferuntur

tur Episcopis in gubernatione suarum ovium, maximè in puniendis scelēstis & corrigendis. Nam primò multis viis eximunt se mali homines, præsertim clerici à jurisdictione sui ordinarii. Deinde si non sint exempti, confugiunt statim ad Poenitentiam, vel ad Datariam, ubi confessim inveniunt viam impunitati, & quod pejus est, ob pecuniam præstitam. Hoc scandalum beatissime Pater, tantoperè conturbat Christianum populuin, ut non queat verbis explicari. Tollantur, obtestamur Sanctitatem tuam per sanguinem Christi, quo redemit sibi Ecclesiam suam, eamque lavit eodem sanguine, tollantur hæ maculæ, quibus si daretur quispiam aditus in quacunque hominum Republica, aut regno, confessim aut paulo post in præceps rueret, nulloque pacto diutius constare posset: & tamen

men putamus nobis licere , ut per nos in Christianam Rempublicam inducantur hæc monstra.

A L I U S abusus corrigendus est in ordinibus Religiosorum , quod adeò multi dèformati sunt , ut magno sint scandalo secularibus , exemploque plurimum noceant. Conuentuales ordines abolendos esse putamus omnes , non tamen ut alicui fiat injuria , sed prohibendo ne novos possint admittere. Sic enim sine ullius injuria cito delerentur , & boni religiosi eis substi tui possent. Nunc vero putamus optimum fore , si omnes pueri qui non sunt professi , ab eorum monasteriis repellerentur.

H O C etiam animadvertisendum & corrigendum censemus in prædicatoribus & confessoribus constituendis à Fratribus , quod ab eorum prefectis primum adhiberetur magna diligen-
tia , ut idonei essent : deinde ut præ-
sentarentur Episcopis , quibus præ
omnibus cura Ecclesiæ est demanda-
ta ,

ta , à quibus examinarentur per se vel per viros idoneos , nec nisi eorum consensu admitterentur ad hæc peragenda.

DIXIMUS, beatissime Pater , non licere aliquo pacto in usu clavium aliquid lucri utenti comparari , est in hac re firmum verbum C H R I S T I : *Gratis accepistis , Gratis date.* Hoc non tantum ad Sanctitatem tuam pertinet , sed ad omnes qui sunt participes hujus potestatis : ideo à legatis & nuntiis vellemus idem servari . Nam sicut usus , qui nunc inualuit , dedecorat hanc sedem & conturbat populum : ita si fieret econtrà , maximum decus huic Sedi compararetur & ædificaretur mirificè populus.

A B U S U S alias turbat Christianum populum in Monialibus , quæ sub cura fratrum conuentalium : ubi in plerisque monasteriis fiunt publica sacrilegia cum maximo civium scandalo . Auferat ergo Sanctitas vestra omnem eam curam à conventuali- bus ,

bus , eamque det aut ordinariis aut aliis, pro ut melius videbitur.

A B U S U S magnus & pernici-
sus est in gymnasiis publicis, præser-
tim in **I T A L I A**, in quibus multi
Philosophiæ Professores impietatem
docent. Imò in templis fiunt dispu-
tationes impiissimæ : & si quæ sunt
piæ, tractantur in eis res divinæ co-
ram populo valde irreverentur. Ideo
putaremus indicendum Episcopis ubi
sunt publica gymnasia, ut per eos ad-
monerentur lectores qui legunt , ne
docerentur adolescentes impietatem ,
sed ostenderent infirmitatem luminis
naturalis in quæstionibus pertinenti-
bus ad Deum , ad mundi novitatem
vel æternitatem , & similia , eosque ad
pietatem dirigerent. Similiter ne per-
mitterent fieri publicas disputationes
de hujusmodi quæstionibus , neque
etiam de rebus Theologicis , quæ
certè multum existimationis perdunt
apud vulgus : sed privatim de his re-
bus fiunt disputationes , publicæ de aliis
quæ-

quæstionibus Physicis. Idemque injungendum esset omnibus aliis Episcopis, maximè insignium civitatum, in quibus hujus generis disputationes fieri solent. In impressione etiam librorum eadem adhibenda esset diligentia, scribendumque principibus omnibus, ut caveant ne passim quivis libri in eorum ditione imprimantur. Dandaque esset hujus rei cura ordinariis. Et quoniam pueris in ludis solent nunc legi Colloquia Erasmi, in quibus multa sunt quæ rudes animos informant ad impietatem, ideo eorum lectio in ludis literariis prohibenda esset, & si quæ alia sunt hujus ordinis.

POST hæc quæ ad instituendos ministros tuos in hac universalis Ecclesiæ cura, & in ejus deinde administratione spectare videntur, animadvertisendum est in gratiis quæ fiunt à tua Beatudine præter priores abusus, alios quoque abusus introductos esse.

B

PRI-

P R I M U S est in Fratribus seu Religiosis apostatis, qui post votum solemne à sua Religione recedunt, impetrantque ne teneantur gerere habitum sui ordinis, imo nec vestigium habitus, sed tantum vestem honestam clericalem. Prætermittamus nunc de lucro. Jam enim diximus in principio, non licere ex usu clavum, & potestatis à C H R I S T O traditæ comparare sibi lucrum sed etiam ab hac gratia abstinendum. Nam habitus est signum professionis, unde nec ab Episcopo potest dimitti, cui tenentur hi apostatæ: ideo hæc gratia eis concedi non deberet, neque etiam cum ipsi recesserint à voto quo Deo se obligarant, eis permittatur ut habeant beneficia, neque administrationes.

A L I U S abusus in quæstuariis sancti Spirius, sancti Antonii, aliisque generis: qui decipiunt rusticos & simplices, eosque innumeris superstitionibus implicant: tollendos hos quæstuarios censemus.

A B U-

A B U S U S alius in dispensatione cum constituto in sacris ordinibus, ut possit uxorem ducere, hæc dispensatio non esset ulli danda nisi pro conservatione populi cujuspiam vel gentis, ubi esset publica causa gravissima: præsertim his temporibus, in quibus urgent Lutherani hanc rem maximè.

A B U S U S in dispensatione in nuptiis inter consanguineos seu affines: certe in secundo gradu non putamus faciendam esse, nisi ob publicam causam gravem. In aliis vero gradibus non nisi ob causam honestam & absque pecunia, ut diximus, nisi jam prius conjuncti essent, ubi liceret pro absolutione à peccato jam perpetrato imponi mulcta pecuniaria post absolutionem, & deputari ad pios usus, in quibus Sanctitas tua impensas. Nam sicut ubi non est peccatum in usu clavium, nihil exigi potest pecuniæ: ita ubi absolutio petitur à peccato, imponi mulcta pecuniaria potest & deputari ad pios usus.

A B U S U S alius in absolutione Simoniaci, proh dolor, quantum in Ecclesia Dei regnat hoc pestilens vitium, adeò, ut quidam non vereantur Simoniam committere, deinde confessim petunt absolutionem à poena. Imò eam emunt, sicque retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam non posse poenam illam, quæ est de jure positivo constituta, eis condonare: sed quod nullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur quo nullum perniciosius, nec magis scandalosum.

L I C E N T I A etiam testandi clericis de bonis Ecclesiæ non esset danda, nisi pro causa urgenti: ne bona pauperum converterentur in privatas delicias & amplificationes domorum.

C O N F E S S I O N A L I A autem cum usu altaris portatilis non essent facile danda, sic enim vilescunt Ecclesiasticæ res & Sacramentum omnium præcipuum. Nec indulgiæ item dandæ essent, nisi semel in anno,

anno, in unaquaque insignium civitatum. Commutatio etiam votorum neque ita facile facienda neque commutanda, præterquam in æque valens bonum.

CONSUEVERE etiam mutari voluntates ultimæ testatorum, qui ad pias causas legant quampiam pecuniaæ summam, quam authoritate Sanctitas tuæ transferunt ad hæredem vel legatarium, ob prætensam paupertatem, &c. idque ob lucrum. Certè nisi facta sit magna mutatio in re familiari hæredis per obitum testatoris, ita quod verisimile sit testatorem ob eam mutationem mutaturum fuisse voluntatem, voluntates testatorum mutari impium est. De lucro jam toties diximus, quare putamus omnino abstinentendum.

OMNIBUS in summa explicatis, quæ pertinent ad universalis Ecclesiæ Pontificem quantum animo potuimus comprehendere, restat ut nonnulla dicamus, quæ pertinent ad.

Romanum Episcopum. Hæc Roma-
na civitas Ecclesia mater est & magi-
stra aliarum Ecclesiarum: ideo maxi-
mè in ea vigere debet divinus cultus &
morum honestas: idco, beatissime Pa-
ter, scandalizantur omnes exteri qui
ingreduntur templum B. Petri, ubi
facerdotes quidam fordidi, ignari, in-
duti paramentis, & vestibus quibus
nec in fordidis ædibus honesté uti pos-
sent, miseras celebrant. Hoc magnum
est omnibus scandalum, ideo injungen-
dum est Reverendissimo Archipres-
bytero vel Reverendissimo Poeniten-
tiario, ut hæc curent & amoveant hoc
scandalum: sicque in aliis Ecclesiis.

IN hac etiam urbe meretrices ut
matronæ incedunt per urbem seu mu-
la vehuntur, quas affectantur de me-
dia die nobiles familiares Cardinalium
clericique. Nulla in urbe vidimus hanc
corruptionem, præterquam in hac o-
mnium exemplari: habitant etiam in-
signes ædes: corrigendus etiam hic
turpis abusus.

SUNT

SUNT etiam in hac urbe privatorum civium odia & inimicitiae, quas componere & cives conciliare præcipue interest Episcopi: ideo per Cardinales quosdam Romanos præsertim qui magis essent idonei omnes hæ inimicitiae componendæ essent & civium animi conciliandi.

SUNT in hac urbe hospitalia, sunt pupilli, sunt viduæ. Harum cura maximè pertinet ad Episcopum & ad principem. Ideo Sanctitas tua per Cardinales viros probos posset etiam commodè hæc omnia curare.

HÆC sunt, beatissime Pater, quæ in præsentia pro tenuitate ingenii nostri colligenda esse duximus: & quæ nobis corrigenda viderentur. Tu vero pro tua bonitate & sapientia omnia moderabere: nos certe si non rei magnitudini quæ nostras vires longe superat, conscientiae tamen nostræ satifecimus; non sine maxima spe, ut sub te principe videamus Ecclesiam Dei purgatam, forinofam ut colum-

bam, sibi incordem in unum corpus consentientem, cum æterna tui nominis memoria. Sumpsisti tibi nomen Pauli, imitaberis speramus charitatem Pauli: electus fuit ille ut vas quod deferret nomen **CHRISTI** per gentes. Te vero speramus electum, ut nomen jam **CHRISTI** oblitum à gentibus & à nobis clericis, restituas in cordibus & in operibus nostris, ægritudines sanes, oves **CHRISTI** in unum ovile reducas, amoveasque à nobis iram Dei & ultionem eam, quam mememur, jam paratam, cervicibus nostris imminentem.

Caspar Card. Contarenus.

Joh. Petrus Card. Theatinus.

Jacobus Card. Sadeletus.

Reginaldus Card. Anglicus.

Fredericus Archiepis. Solernitanus.

Hieronymus Archiepis. Brundusinus.

Joh. Matthæus Episc. Veronensis.

Gregorius abbas sancti Georgii Venet.

Fratere Thom. Magister sacri palatii.

G A S P A R I S C O N T A R E N I C A R D I N A L I S ,

*Ad Paulum III. Pont. Max.
de Potestate Pontificis in usu
clavium epistola.*

BEATISSIME Pater e-
quidem tot curis, & gravis-
simis occupationibus, cum
videam Sanctitatem tuam
distineri: & non queat omnibus per se
satisfacere ; hominum nostri ordinis
officium esse duco, quoniam in par-
tem hujus sollicitudinis publicæ vocati-
sumus, ut quisque nostrum pro vi-
rili, eam, quam potest, opem, ferat
Beatitudini tuæ; præsertim his tempo-
ribus, quibus multò magis, quàm per
multa secula retro **N A V I C U L A P E-**
T R I fluctuat, ac undique oppugnat.

B 5

tur.

tur. Innumera ferè tibi sunt negotia
obeunda; verùm horum maximum,
non injuria quivis censuerit, hoc,
**QUOD AGGRESSUS ES REFOR-
MATIONIS NEGOTIUM.** Super
quo, cum hesterna die, multa ul-
tro, citroque dicta fuerint in conventu
Reverendissimorum Cardinalium, &
prudenter, & docte; attamen, quo-
niā nonnulla incidit dubitatio, de
his, quæ in principio statim illorum
capitulorum, quæ iuslī Sanctitatis
tuae confecimus, dicta fuere; **A N**
LICEAT ROMANO PONTIFICI
CHRISTI VICARIO; vel cuivis
alteri, qui est particeps Potestatis cla-
vium, aliquid sibi ex usu illius Pote-
statis comparare; meas partes esse
duxi, non ex rivulis, sed ex fontibus
Theologorum, ac Philosophorum
(nam eorum, quæ ad hanc rem per-
tinent, multa utrisque communia sunt)
paucis, totius hujus rei principia, su-
per ea re, scriptis mandare, ac tibi le-
genda tradere, ex quibus perspicue
in-

intelliges, quibus fundamentis nitamur; & quid nam dicamus. Omnia tamen subjicio examinanda, & corrigenda Sanctitati tuæ, omnibusque melius sentientibus.

Verum; ut ad rem deveniam, illud primò Beatissime Pater, est animadvertisendum quod dicit **Dionysius** in libro de Divinis Nominibus. Quòd ~~est~~^{est} **BONUM** constat ex una, integraque causa, quæ omnia complectitur illa, quæ ad rem bonam etiam requiruntur. **MALUM** verò contingit ex singulis defectibus. Sicuti Pulchritudo fit ex proportione membrorum omnium convenienti, simulque decentia coloris, & reliquorum omnium, quæ corporis sunt, adjectis. Deformitas verò contingit ex singulis defectibus.

Huic illud est adjungendum. In actione quavis humana, seu morali esse & Naturam, sive essentiam appellare maluerimus, actionis illius: & circumstantias, quæ sunt veluti accidentia quædam, quæ circumstant

actionem. Natura actionis sumitur ex objecto, circa quod est actio. Circumstantiae verò multæ sunt, inter quas est finis agentis, id est, id cuius gratia agens agit. Qui non inest actioni illi ex sui natura; sed quoniam agens, eam actionem dirigit in eum finem. Quamobrem ejusdem naturæ, & speciei actionis, possunt esse diversi fines, ad quos, scilicet, agentes causæ eam actionem direxerint.

Ex his sequitur. Quòd si actio bona futura sit, necesse, ut & natura sui, sit bona, & etiam ut circumstantiae convenienter ei. Quòd si fuerit defectus in horum quopiam, actio illa, & si fuerit suapte natura bona, mala efficitur. Ut exempli causa. Si quis eleemosynam daret, ut facilius adulterium perpetraret, aut ut aliquem deciperet: actio hæc, est bona per suam naturam: efficitur tamen mala propter circumstantias; quia fit gratia finis mali. Si verò actio quæpiam sua

sua natura fuerit mala , & deformitatem contineat naturalem , nullis circumstantiis quantumvis perfectis , & excellentibus , potest fieri bona . Nam **BONUM** contingit ex omnibus convenientibus . **MALUM** ex singulis defectibus .

His discussis facilis erit quæstionis hujuscce solutio . Nam cum **USUS POTESTATIS A CHRISTO TRADITÆ SIT USUS SPIRITALIS POTESTATIS** , cuius ipse est dominus , nos autem ministri , utique gratis dari debet . Quòd si gratis non datur , sed ob lucrum : utique ea actio suapte natura est mala . Est etenim circa materiam , & objectum minime ei conveniens . Quòd rationibus evidenterissimis , sumptis è Scriptura sacra probatur .

Nam **DONO SPIRITUS SANCTI ET REI SPIRITALIS NULLUM QUANTUMVIS MAXIMUM TEMPORALE BONUM COMPARARI POTEST** . Nos verò æquiparamus

MUS BONUM ILLUD SPIRITUA-
LE pecuniae; pro qua id damus.

Præterea; Dispensator non potest vendere id, quod non suum est, sed Domini. Neque etiam potest transgredi in dispensatione mandatum Domini. At Pontifex, & quilibet Episcopus est ^{x. cor. cap. 4.} dispensator mysteriorum Dei, ut inquit Paulus expresse. Sic existimet nos homo ut ministros, & dispensatores mysteriorum Dei.

^{Matt. 10.} Item expresse CHRISTUS in Euangelio præcepit. GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE. Qui ergo ob lucrum dat, facit se Dominum Bonorum Dei, cum tamen sit servus, & dispensator. Item transgreditur præceptum Domini, qui mandavit nobis, ut GRATIS DAREMUS SICUTI GRATIS ACCEPIMUS.

Hæc ergo actio, cum ex usu clavium, & potestatis à CHRISTO traditæ, lucrum nobis comparamus nec gratis ea utimur, cum ex objecto tot deformitates continet, sua natura est mala.

mala. Nunquam igitur bona fieri potest, ad quemcunque finem, quantumvis bonum ab agente dirigatur. Sive ad sustinendum bellum contra Turcas, sive ad redimendos captivos, vel quidvis aliud pium, illud lucrum, quod sibi adscivit utens ea potestate, dirigat. Quare Paulus dixit. **N O N F A-** ^{Rom.}
C I E N D A M A L A U T E V E N I A N T ^{cap. 2.}
B O N A. Hoc Aristoteles, omnesque ^{x. Eth.}
^{a. cap.} Philosophi, & Theologi dicunt.

Ut autem intelligatur, quid sit, **N O N G R A T I S D A R E**, paucis explicabo. Illud proculdubio non datur gratis, si pecunia enumeretur; sive
rò pecunia non enumeraretur, non datur. Quis dicere ausit dari quippiam gratis quod datur, si adsit pecunia: non datur, si pecunia desit. Ubi tamen imponitur multa pro satisfactione peccati, potest imponi multa pecuniaria, in **P I O S U S U S E X P E N D E N D A**, si res, & personæ conditio videbitur id exigere. Sic etiam in ingressu monasterii pauperis. Nam cum ingrediens

mona-

monasterium indigeat victum, & vesti-
 tum à monasterio sibi præstari, posset
 monasterium quippiam accipere ob-
 gravamen illud. Sed quòd Episcopus
 quispiam, aut quivis alias possit, si quis
 ab eo petierit (verbi gratia) dispensatio-
 nem quampiam, & ob causam legiti-
 mam petat, quam noscat Episcopus, di-
 cere; Si dederis pecuniam, do dispensa-
 tionem, si non dederis, non do. Utique
 puto Beatissimite Pater **H A N C C O N-**
C I U S I O N E M E S S E I M P I A M E T A L I E-
N A M A B A U R I B U S C H R I S T I A N I S.
 Nam is proculdubio non gratis dat
 (quis enim secus dicere ausit, nisi qui
 sensu communi careat?) Christus dicit
 in Euangelio. **G R A T I S D A T E**, &
 erit quispiam tam audax, & tam im-
 pius, ut audeat dicere; **L I C E T T I-**
B I N O N G R A T I S D A R E? ABSIT
 BEATISSIME PATER, AB HAC
 SANCTISSIMA ECCLESIA RO-
 MANA, QUÆ FUIT, ET EST MA-
 GISTRA ALIARUM ECCLESIA-
 RUM TAM IMPIA DOCTRINA.
Nescio

Nescio quid nam fiat in **C O M P O-**
S I T I O N I B U S. Sed si ita fit , ut supra
diximus , corrigendum est. Vel si non
corrigitur , saltem , **N O N E S T F O E-**
D A N D A H U J U S S A N C T A E R O-
M A N A E E C C L E S I A E D O C T R I N A
H U J U S M O D I P O S I T I O N I B U S
O B L I Q U I S. Si mores sunt quopiam
pacto obliqui , doctrina tamen perse-
veret recta. Neque velimus veritatem
Dei nostris moribus , & consuetudi-
nibus accommodare.

Pater Sanctissime ingressus es viam
Christi , audacter age. Neque ma- 11
gno isto tuo animo ullo pacto verca-
ris , si ob correctionem hujus rei de-
sint tibi ob distractionem bonorum
Ecclesiæ factam à tuis prædecessori-
bus viginti , aut triginta millia num-
morum aureorum ad sustinendam vi-
tam Pontificis. Quin facillime mul-
tis modis resarcire haec possis cum im-
mortali tua , tuorumque omnium
laude , ac sempiterna memoria. Uni-
versa Christiana Respubl. summum
gau-

(42)

gaudium capiet, te venerabitur, ut
Deum alterum: Nullumque Pontifi-
cum post Beatissimum Petrum, tibi
præferendum ducent, & nostræ æta-
tis homines, & universa posteritas.
Hoc castigato, quod ad te pertinet,
cætera omnia erunt facillima. Deus
omnipotens diriget gressus tuos & tuo-
rum omnium. Familiæ tuæ Protector
erit, & super omnia bona sua, consti-
^{Lxx.}
_{c. 11.} tutet te, ut ipse in Euangeliō pollice-
tur servo fidi, quem constituit super
familiam suam. Dominus diu nobis
servet Sanctitatem tuam in columem.

F I N I S.

G A-

G A S P A R I S C O N T A R E N I C A R D I N A L I S ,

*Ad Paulum III. Pont. Max.
De Potestate Pontificis in
compositionibus epistola.*

BEATISSIME Pater, in plerisque rebus ita usu evenire solere saepenumero animadverti, ut nimio quodam animi affectu, & studio, dum cupimus eis consulere, & earum amplificationi studemus, multum plerumque eis detrahamus & auctoritatis, & dignitatis; ac interdum nimio hoc studio nostro potius perniciem, & interitum imprudentes illis procurremus, quam ullam opem, aut ullam majestatem. Praeclarissimis Philosopherum omnium, itemque sapientissimi-

tissimis non tantum naturæ rerum ,
 sed etiam humanæ vitæ perscrutator Aristoteles in Politicis præceptum nobis reliquit , admonuitque prudentissime . Multas earum legum , quæ populares videntur solere destruere popularium statum : itemque plures constitutiones , quæ paucorum potentiae favere videantur , solere perniciem adferre paucorum illorum dominationi . Idem mihi propemodum fecisse videntur jurisperiti quidam : Qui dum præ omnibus operam dant , ut Auctoritatem , & Potestatem Pontificis amplifcent , eò devenerunt , ut dum vana quædam , quid dicam vana ? imò falsa ; & quæ judicio Doctorum , & Proborum hominum , potius sapiunt idolatriam , quam pietatem ullam , adstruere conantur , adversariis hujus sanctissimæ sedis occasionem dederunt , ut queant facile **P O P U L O C H R I S T I A N O** illudere , eique persuadere nullam esse Romani Pontificis auctoritatem : eumque æquent quibuscun-

cunque Episcopis. Quodque si huma-
no quodam jure hanc obtainuerit Ro-
manus Pontifex hucusque auctorita-
tem , posse etiam in tot abusibus , ea
auctoritate privari. Hoc facile multis
Populis peruaferunt , occasionem na-
cti ab argumentis vanis illis , quibus
nimio quodam affectu , dicti quidam
jurisperiti student hanc Pontificis au-
ctoritatem amplificare. Adeo , ut eo-
rum quidam non vereantur dicere vo-
luntatem P O N T I F I C I S R E G U-
L A M Q U A N D A M E S S E ; qua ejus
actiones dirigantur. Neque in jure po-
sitivo constituendo , aut abrogan-
do , aut etiam dispensando Regulam
quampiam Pontifici constitutam esse,
præter ejus voluntatem. Adeò , ut
omne hujusmodi jus , arbitarium es-
se , persuadere nobis voluerint. Idcir-
co Pater Sanctissime , cum sim voca-
tus in partem solitudinis publicæ , de-
beamque pro virili Majestatem hujus
S A N C T I S S I M A S E D I S tueri,
decrevi paucis complecti ea , quæ
mihi

mīhi videntur facere ad horum errorem manifestandum.

Jam enim cum essem Laicus, inciduntemque in locum, ubi oportebat Majestatem, & auctoritatem hujus S A N C T I S S I M A E S E D I S tueri, non tantum verbis, & oratione id præstiti, verùm ctiam amico cuidam meo, viro gravissimo, opusculum quoddam conscripsi: quo, quantum pro temporis angustia, & per negotia, quæ mihi obeunda tunc erant, satis perspicue, ni fallor, ostendi. **S U M M A M H A N C P O N T I F I C I S A U C T O R I T A T E M** nullo humano jure constitutam fuisse, sed à D E O O P T I M O , U N I C O - Q U E E I U S F I L I O , collatam fuisse Sanctissimo Petro, ejusque successoribus. Tu verò Beatississime pater, pro tua sapientia, & in D E U M pietate imitaberis. Majores nostros sanctissimos homines, qui in scripturis canonicis approbandis, quamvis multa opera extarunt, ex quibus facilitius C H R I - S T I A N A R E L I G I O adstrui posse vide-

videbatur; & quæ pro confirmanda,
 & augenda populi fide mirificé facie-
 bant, nihilominus omnia ea, quæ non
 certissimis auctoribus constarent fuisse
 conscripta, ut **A P O C R Y P H A** reje-
 cerunt. Hæc etenim, ut inquit Au-
 gustinus, est rerum, quas oportet ve-
 rissimas esse natura; ut si in quibus-
 dam, vel minimis falsum quippiam
 inesse deprehendantur, confessim o-
 mnem amittant auctoritatem, & ma-
 jestatem. Sic tu in hac parte, in hac
 divina auctoritate, quæ tibi est tra-
 dita, **A QUA U N I V E R S A P E-
 N D E T C H R I S T I A N I P O P U L I
 V I T A E T G U B E R N A T I O**, dabis
 operam, scio, ut nihil falsi, nihil,
 quod non **P I E T A T I C H R I S T I A-**
N A E conveniat, deprehendi queat.
 Hac etenim ratione, cum maxime
 consules **C H R I S T I A N I P O P U L I**
G U B E R N A T I O N I, tum præcipue
 Auctoritatem **H u r u s S A N C T I S-**
S I M A E S E D I S tuebere. Memini me
 legisse apud Thomam Sanctissimum,
 & Do-

& Doctissimum Hominem, ubi eam
 quæstionem tractat, quæ maxima
 semper fuit inter Philosophos Peripa-
 teticos, & C H R I S T I A N O S , seu
 potius trium harum, quæ extant Re-
 ligionum, cultores, de mundi, scili-
 cet, Aeternitate, seu Novitate, in qua
 quidem doctissimi etiam Homines,
 non contenti solvisse rationes, & ar-
 gumenta illa apparentia: quibus mun-
 di Æternitas probari videtur ab Ari-
 stotele, voluerunt ipsi rationes inve-
 nire, quibus econtra, adversus Phi-
 losophos probaretur Mundi Novitas.
 Quas cum admodum frivolas esse,
 vir hic Doctissimus comperisset, nos
 omnes admonet, ut abstineamus ab
 hac provincia. Effici nanque, ut dum
 credimus prodesse rei, & D O G M A-
 T I B U S C H R I S T I A N I S , multum
 eis detrimenti adferamus. Verùm,
 cum pluribus sapientissimo Pontifici,
 conatus fuerim ostendere id, quod
 ipse optime omnium intelligit, ad rem
 deveniam. Utarque dicendi genere,
 quod

quod sit illustre, quod rem explicit,
nullo adhibito orationis fuso.

Illud primùm omnium constituerre oportet, si hujus rei investigatio recte sit processura, omnem cuiusque rationis & ordinis Gubernationem seu Regimen, maxime pertinere ad rationem, esleque rationis opus. Hinc videmus ita natura comparatum esse, ut quæque ratione polent, natura etiam magis imperare & regere. Unde hominum genus omnibus aliis animantibus imperat, quæ rationis capaces minime existunt. Inter homines verò Senes regunt, ac gubernant juniores. Sic viri fœminas. Sic in unoquoque, qui servat ordinem à natura institutum, Ratio, sensui, & anima corpori imperat. Relinquo nunc differentiam eam, quæ est inter illud imperium, quo Dominus Servo imperat, & illud, quo Pater filiis, & Bonus Princeps hominibus liberis, ne longius digrediar ab investigatione quæstionis

nis propositæ : & quoniam omnibus
 puto compertissimum esse , regimen
 Pontificis esse maxime liberorum ho-
 minum regimen , ad eorumque uti-
 litatem & bonum maximè specta-
 re ; cum Dominus docuerit nos in
 Euangeliō , Bonum Pastorem pone-
 re etiam animam suam pro ovibus
 suis . Cum igitur constet regimen
 esse opus rationis , utique exploratis-
 simum etiam illud esse oportet po-
 testatem omnem , seu potentiam ap-
 pellare malueris , esse potentiam na-
 turalem , seu rationis , id est , qua uti-
 mur cum ratione , quæ nimirum Ra-
 tio Practica est , seu Activa , quæ-
 que constituto fine certo , convenien-
 tibus fini mediis , & instrumentis , co-
 natur eos , qui rectioni illi subdun-
 tur , ad præstitutum finem , seu bo-
 num perducere .

His hactenus discussis , nulli potest
 esse dubium , quin Auctoritas , &
 Potestas hæc Pontificis , sit rationa-
 lis , seu rationis Potentia , à D e o

Op-

OP T I M O , Beatissimo Petro ejusque successoribus collata, qua tanquam **C H R I S T I** Vicarius & ejus ovium Pastor, regat sibi commisum gregem, ac dirigat ad æternam felicitatem divinamque vitam, quam nobis **C H R I S T U S** meruit sanguine fuso; quo lavit nos à peccatis nostris, & in filios, per regenerationem baptismatis in mortem suam adoptavit. **Hæc** Potestas est omnium maxima in terris, qua etiam inter homines nulla superior.

Verum superius dictis, illud addendum est, quod Aristoteles dicit in nono libro Metaphysices, ubi loquitur de potentia activa, quod Potentia Activa naturalis differt à Potentia rationis, seu rationali, quoniam naturalis Potentia est determinata ad unum, potentia verò Rationalis est indeterminata. Imo eadem Potentia est contrariorum. Nam caliditate ignis non potest frigefacere, nisi per accidens, sed calefacit tantum. Sic gra-

ve, gravitate descendit, & leve, ascen-
dit levitate. Et medicus arte medi-
cinæ, quæ rationalis est potentia, po-
test & pharmacum, & venenum mi-
scere. Sic navis gubernator potest ar-
te quam habet, peritia scilicet, qua
utitur cum ratione, & in portum
navem dirigere, & in scopulum im-
pellere. Quamobrem, cum contra-
ria simul effici non valeant, Poten-
tia Rationalis non prodit in actum,
scilicet, ut agat quippiam, nisi fuerit
determinata ad unum quippiam per
electionem. Electio igitur potesta-
tem omnem rationalem determinat ad
unum quodpiam, quod efficit. Ele-
ctio verò omnis est voluntatis, quæ
ob sui imperfectionem est vertibilis in
malum, ideoque, & bene elit, &
male. Bonam electionem facit virtus,
& perfectio, malam verò electionem
facit vitium, & imperfectio. Neque
hoc, quod male possit eligere volun-
tas, pertinet ad ejus potentiam, sed
ad impotentiam : quemadmodum

non

non est potentiae corporis, quod queat ægrotare, sed impotentiae, & imbecillitatis: sic etiam non est potentiae cruris, quod possit claudicare. Quamobrem in Prædicamentis Aristoteles appellavit hujusmodi qualitates naturales, non Potentias, sed impotentias. Igitur est impotens voluntas, quatenus malum eligit, atque potest id eligere: at quamvis voce dicamus voluntatem posse malum eligere; retamen, id potest ob impotentiam, non ob potentiam.

Hanc voluntatis impotentiam Philosophi cognoscentes, quærentesque quonam pacto ea tolli posset, inventerunt **VIRTUTES MORALES**, quæ assuetudine bonorum operum comparantur, quibus veluti quibusdam perfectionibus, naturæ vis superadditis, si non tolli, saltem minui voluerunt hanc voluntatis Impotentiam. Qua de re Aristoteles inquit: **Virtutis proprium esse, ac Studioſi Hominis, ut sciens, bonum eligat,**

ligat , & honesti gratia insuper , ut immobiliter id faciat. Ecce quam vim habeat virtus Moralis apud Philosophos , ut scilicet , firmet , & stabilem voluntatem faciat , ne vertatur ad eligendum malum. Neque tamen propterea **VIRTUS MORALIS REPUGNAT LIBERTATI ARBITRII.** Non enim pertinet ad libertatem voluntatis , ut deficere queat , sed ut proprio nixu , non alieno impulso , quipiam agat , simulque ut ad præstitutum bonum finem eligat **ex** multis viis , ac ductibus , instrumentive , quod voluerit. Et quòd à fine deviet , & erret , neque ad libertatem , neque ad potentiam referri debet voluntatis ; quin potius ad impotentiam , & servitutem.

Christiana verò doctrina , Beatissime Pater (cui quantopere conveniat Philosophia Moralis , ex his , quæ dicemus , facile quivis judicare poterit ; nec mirum , cùm & lumen naturale inditum animis nostris , &

CHRIT-

CHRISTIANUM LUMEN ab eodem sunt Auctore , à Patre, scilicet, Luminum; Signatum, namque est, ut ait Propheta , super nos Lumen Mal. vultus tui domine) nos docuit hoc, quod Philosophi viderunt , ablacionem , scilicet , hujus impotentiae voluntatis , fieri non posse virtutibus moralibus , assuetudine bonorum operum nobis comparatis ; id , quod experientia etiam unumquemque , qui se ipsum decipere nolit , mirificé docuerit : sed tantum per GRATIAM DEI , qua sanamur ab hac ægritudine animi , impotentia illa , inquam , contracta per peccatum originale , à primo Parente in nos derivatum.

Nos item docuit hanc ægritudinem , & impotentiam , servitutem esse , qua servimus peccato. A qua servitute liberamur , & in libertatem asserimur PER GRATIAM DEI EX FIDE IN SANGUINE JESU CHRISTI: sine qua non possumus diutius perseverare , quin ruamus in peccatum , cui

servimus. Non tamen donec hanc mortalem vitam ducimus, sumus ita ab hac ægritudine, atque impotentia liberati, ut nos etiam nolentes non stimulet, consisteréque interdum faciat, ne toto animi impetu feramur in D E U M , bonorum omnium fontem. Hoc etenim, quamvis C H R I S T U S nobis etiam meruit, nondum tamen id adepti sumus, sed in patria coelesti erimus penitus liberi, ab hac servitute; ac plene liberi, peccare non poterimus. H A E C E S T M A X I M A L I B E R T A S, M A X I M A O M N I U M P O T E S T A S.

His addendum, ut tota hæc res, de qua est à nobis disputatio instituta, illustrior fiat, quòd voluntas cuius est electio hæc bona, per G R A T I A M D E I , charitatem, cæterásque virtutes, ideo bene eligit, quia non deficit à Regula Rationis, quæ pendet, & ab his, quæ lumine naturali nobis sunt comperta, à Patre lumen animis hominum inserta, & à Divina L e g e

ge in sacris Scripturis nobis tradita; &
ab iis, quæ nos docet **U N C T I O**, ut <sup>Ad Re.
cap. 5.</sup>
ait Apostolus, in qua uncti sumus,
C H A R I T A S, scilicet, **D E I**, &
P R O X I M I diffusa in cordibus nostris
per Spiritum Sanctum, qui datus est
nobis. Hæ sunt **R e g u l æ**, quibus **B o -**
N A V O L U N T A S dirigitur, & à qui -
bus non posse dimoveri, summa est li -
bertas, summa potentia..

His hactenus discussis quæ sunt
luce meridianâ clariora, veniamus
ad Pontificis potestatem. Supradixi -
mus illam potestatem, cum Regiminis
sit, imo Summi Regiminis, esse pote -
statem Rationis, quæ cum non pro -
deat in actum, id est, non agat, nisi ele -
ctione fuerit determinata; electio vero
bona queat esse, & mala ob impoten -
tiam, seu imperfectionem voluntatis
hominum, utique hac potestate pote -
rit bene, & male uti: bene si sequatur
Regulas illas, paulo supra enumera -
tas; male, si ab illis recellerit. Quæ
Pontificis potestas, sicut optima est, &

C 5 C H R I -

CHRISTIANI POPULI SALUS, si Pontifex benè ea fuerit usus ; ita pessima efficitur , si Pontifex ea malè utatur : non quia tunc non habeat potestatem illam , imo , quoniam habet. Aristoteles in Politicis inquit: Hominem esse optimum animalium, si fuerit rectè institutus. Item esse pessimum omnium , si fuerit malis moribus præditus. Adfert hujus rei rationem. Sæva namque est injustitia ferens arma ; homo autem fert arma per innatam prudentiam. Ecce quām clarè nobis rem nostram explicat. Homo cum male utitur prudentia , & pessimum est animalium , carētne tunc potentia illa naturali prudentiæ ? quinimo habet , idcirco est pessimum. Sic Papa cùm male utitur potestate, an tunc caret ? minimè : imo habet. Et ob eam rem est CHRISTIANO POPULO perniciosus. Sæva est etenim Injustitia ferens arma: Pontifex autem fert arma per potestatem ipsi traditam. Res hæc tota
hacte-

haetenus est clarissima. Nunc videamus , quonam pacto , ex ignorantia eorum , quæ diximus , in diversos quosdam errores nonnulli , qui periti dici & haberi volunt , inciderunt. Nam cum non satis discernerent inter intellectum , & voluntatem , putarunt hanc Pontificis Auctoritatem , ad voluntatem ejus pertinere ; ideoque in contrarios errores inciderunt. Nam horum nonnulli putarunt , cum potestate sua Pontifex quipiam mali agit , ut exempli causa , si excommunicat quempiam injustè , quòd excommunicatio illa nullius sit pondersis , neque ullo pacto servanda. Rationem in promptu habent. Inquiunt enim : cum haec potestas divinitus sit data Pontifici , Deus verò non cooperetur malo , ea excommunicatio iusta non provenit à potestate divinitus Pontifici data ; ideo nihil facienda. Unde sicuti VIRTUTE NUL-
LUS MALE UTI POTEST , quoniam Virtus est voluntatis perfectio ,

quæ utitur viribus aliis animæ, præser-
tim rationi subjectis, ideo nullus potest
virtute male uti. Quemadmodum nul-
lus potest perspicacia visus hallucinari,
& obaudire subtilitate auditus, ita
etiam existimavere hi Pontificem,
male uti non posse potestate sibi à
Deo collata; ac si potestas illa esset
perfectio quædam voluntatis, sicuti
charitas, qua nemo potest male uti.

Alii contra, eodem fundamento
nisi, quòd, scilicet, hæc potestas sit
voluntatis, arbitrati sunt hanc potesta-
tem esse voluntariam, ita quòd in
constituendo jure positivo, & lege, in
eo abrogando, in dispensando, etiam
nullam aliam habeat regulam Ponti-
fex, nisi voluntatem propriam. Sic
jurisperiti quidam voluerunt id licere
Pontifici, quod vult; quoniam nul-
lam habeat regulam præter volunta-
tatem sui ipsius. Hæc etenim censue-
runt esse Pontificiæ hujus summæ po-
testatis.

Hæc positio adeo est falsa, adco-
repu-

repugnans sensui communi, adeo est contraria DOCTRINÆ CHRISTIANÆ, adeo depravat UNIVERSI CHRISTIANI POPULI GUBERNATIONEM, ut nihil pernitiosius inveniri potuerit.

Nam per DEUM IMMORTALEM, nonne hæc positio idolatriam sapit? Cui namque creaturæ hoc attribui potest, quòd actionum suarum voluntas ejus sit Regula? An non hoc proprium est solius DEI, primi omnium rerum principii, à quo pendet universa omnium natura? Angeli in cœlo, Cherubin, Seraphin, Anima GLORIOSISSIMÆ VIRGINIS, Anima CHRISTI habéntne hoc, quòd ipsorum voluntas sit Regula actionum suarum? Minime omnium. Confirmati utique sunt, ne deficere valeant à DEI voluntate, quæ est omnium Regula. At quòd sibi ipsi sint Regula, absit. Isti vero ob imperitiam hujus potestatis, qualisnam sit, & ad

C 7 quam

quam animi virium pertinet , & ut adulentur Pontificibus , adeo absurdam positionem non veriti sunt in publicum prodere.

Amplius. Quis sanæ mentis diceret bonam quampiam gubernationem posse constitui , in qua voluntas unius hominis sit Regula illius Regiminis , quæ sua natura , prona est ad malum , quæ innumeris animi affectibus huc , illuc ducitur ? O præclaram Aristotelis summi Philosophi sententiam in Politicis ! Qui facit , inquit , hominem principem , non legem ; facit principem hominem & feram , obferinas appetitiones , atque affectus hominum animis conjunctos .

Amplius. Quid magis contra legem Christi , quæ est lex libertatis , exco-
gitari potest , quām Christianos sub-
jectos esse , pareréque debere Ponti-
fici , cui tributum sit à Christo ut pro
arbitrio leges constituat , leges abro-
get , dispensem in legibus , habeat in
his omnibus voluntatem suam pro
Regu-

Regula? Convenitne hujusmodi Imperium , non dico Christianis hominibus , qui adsciti sunt in legem libertatis , ac propterea , ut inquit Augustinus scribens Januario de Ritibus Ecclesiarum , quām paucissimis exterioribus legibus adstringendi sunt ; non dicam etiam liberis hominibus , & cuiquam gubernationi hominum liberorum , quales sunt recta populorum atque approbata imperia , sed cuicunq; Dominio in servos , quibus Domini imperant , ad sui ipsorum utilitatem , quibusque utuntur ut organis animatis , convenit hoc imperium , atque Dominium , ut pro voluntate eis imperet ? Facebat , Deum Immortalem precor , à Christianis hominibus hæc impia doctrina . Non igitur pro arbitrio constituat leges Pontifex : non pro arbitrio abroget : non pro arbitrio dispenset . Sed sequatur Regulam rationis naturalis ; Regulam divinorum præceptorum ; Regulam charitatis : quæ in Deum omnia dirigit , & ad

ad Bonum commune, quod est
Maius divinum, ad Bonum tamen
proximi cuiusque secundum
Deum.

Nec potent hi Jurisperiti jus positi-
tivum esse jus arbitrarium, sed de-
pendere à jure Naturali; nihilque
aliud esse jus positivum, quam deter-
minationem quandam Juris Natura-
lis, seu divinorum præceptorum ad
tempora, ad locos, ad personas, statum-
que rerum, quæ prudenter conside-
rata efficiunt, ut & constitui lex de-
beat, & in diversis Provinciis leges
etiam sint constituendæ diversæ, item-
que pro mutatione temporis, & re-
rum statu, leges debeant abrogari &
immutari.

Similiter in dispensatione in legi-
bus, voluntas non debet esse Regula,
sed qualitas illius personæ, Occasio,
Immutatio rerum, & temporum;
quibus prudenter consideratis ratione
illa naturali, Dei Gratia, charita-
te, quæ maxima esse debent in animo
Pon-

Pontificis, Pontifex recte dispensat in lege scripta. Sic Aristoteles inquit in Ethicis: Quòd *Æquum Naturale* est melius justo legitimo, & quòd ut in paucioribus facit contra justum legitimum, illudque corrigit, hoc est jus positivum. Hæc est ejus natura, non autem est Jus Voluntarium, ut perhibent hi jurisperiti, qui ita sentiunt, quoniam radices veræ Doctrinæ & Christianæ, & Philosophiæ ignorant.

Pater Beatissime, Tu, qui Doctrina excellis, & rerum experientia, naturalique prudentia plurimum vales, perpende, an ex hac Doctrina, temere Luterani ansam sumpserint componendi libros illos suos de Captivitate Babylonica. Nam, per Deum immortalem, quæ major captivitas, & servitus induci potuisset Christiano Populo, quam hæc, quam profitetur horum Jurisperitorum doctrina, de qua agimus? Nulla equidem. Paulo longius Sanctitas tua dirigat aciem

aciem præclarissimi ingenii sui. Si quispiam Infidelibus hanc doctrinam prædicaret, secundum Religionem à Christo nobis traditam, ita Christianum Populum gubernari unius Pontificis gubernatione, ut non tantum, non habeat superiorem Potestatem in terris (hoc enim rationi consonum esse, non esset difficile probare) sed nec teneatur ulli Regulæ, præterquam ipsius voluntati: nonne confessim ridenter, putarentque hoc regimen Christiani populi esse omnium pessimum?

Nolimus ergo excusare avaritiam nostram, nostram ambitionem, cœterasque pravas actiones nostras prodendo falsam doctrinam, quæ sit accommodata appetitionibus nostris. Prohibet Propheta, excusationes in peccatis, quæ faciunt ne ingenuè fatemur peccata nostra, Deumque precatur dicens: Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Et nos volu-

volumus non tantum verbis excusare peccata nostra , sed Doctrinam in medium adferre , qua tecti , dicamus jure Malum, Bonum; & Bonum, Malum , non veriti Prophetam Esaiam , imo Dominum per Prophetam dicen-⁶²⁸ tem: Væ his qui dicunt Bonum , Ma- lum ; & Malum Bonum.

Ut paucis ergo totam hanc rem claudamus. **Habes** , Beatissime Pater, summam à Christo potestatem in gu- bernando Christiano populo. Hæc potentia rationis est. Det operam San-
ctitas tua , ut habeat summam illam , quantum fieri potest , potentiam , & libertatem voluntatis , ut scilicet , per divinam gratiam , tuumque nixum , non recedas à Regula , ut supra dixi-
mus , neque te vertas ad impotentiam voluntatis , quæ malum eligit ; & ad servitutem , quæ servit peccato. Hæc etenim **Libertas** , hæc potentia vo-
luntatis , cum conjuncta fuerit po-
testati Pontificiae à C H R I S T O tibi traditæ , tunc eris P O T E N T I S S I-
M U S ,

MUS, TUNC MAXIME LIBER, & TOTIUS
REIPUBLICÆ CHRISTIANÆ
VITÆ: & SIC TE MODERANTE, & GUBERNANTE
CŒLESTE QUODDAM IN TERRIS VI-
VENDI GENUS EXPRIMET.

LAUS DEO OMNI-
POTENTI.

2751

Digitized by Google

R E G I A

